

7K.
117.
47

II f
1210

X 1864134

*Caducitas et mutabilitas rerum
humanarum exemplis probata*

solom stovim

Q. D. B. V.

Ad

audiendam Orationem

De

RERUM NATURA

LIUM MUTATIONIBUS,

quam die 14. April. sub horam 2. pomeridian.

ex promptâ memoriâ recitabit

JOHANNES GEORGIUS Müller/

Dresdensis,

simul, Lipsiam abituriens, valedicturus,

Musarum suarum Patronos atqve Fautores, & quoslibet rei scholasticæ candidos æstimatores,

frequenti ut adsint coronâ,

Obnixè, cum officiorum promissione, ac peramanter
invitat.

PAULUS HEINRICUS Schwark/

Leisnicensis,

tum temporis Schwarzianæ Juventuti ab Informatione.



DRESDÆ,

Typis viduæ & hæredum Bergeniorum,
Anno M. DC. LXXXVII.



solom stovim





J. J!



Es, quas hujus universi moles complectitur, caducas esse & fluxas, nec quicquam stabile, perpetuum & firmum, atque in solido, existere, experientia per tot annorum myriades jam tum planum fecit & expositum. Sive quod hæc rerum mundanarum indoles sit, quædam oriri, mutari, desinere; sive quod sub imperscrutabili Divinæ providentiæ sipario & occultantur hæc, & miram subindè metamorphosin experiantur. Universus naturæ ordo mutationibus perpetuis obnoxius deprehenditur, in quam rem locus illustris adduci meret, qui apud Tertullianum, Carthaginensem, celeberrimum ætate suâ Ecclesiæ Doctorem, legitur, inqvientem: Nostra certè metatio (quod clausis vel in totum Homericis oculis liqvet,) totum versiforme est: dies & nox invicem vertunt; sol stitionibus annuis, luna modulationibus mensuris variat: siderum distincta confusio interdum dejicit quid, interdum resuscitat: Cæli ambitus nunc sub divo splendidus, nunc nubilo sordidus: aut imbres ruunt, & si qua missilia cum imbris: dehinc substillum & denuò sudum. Sic & mari fides infamis, dum & flabris æqvè mutantibus, de tranquillo probum, de flustris temperatum, & extemplò de decumanis inqvietat. Sic & terram si recentias temperatum vestiri amantem, prope sis eandem negare, memor viridem cum conspicis flavam, mox visurus & canam. Calculum huic addit, maximè quod ad temporum, attinet vicissitudines, magnus ille ex Cordubensium urbe oriundus Poëta, Lucanus, in carmine Pisoni, nobilissimæ apud Romanos profapiæ Equiti, dicato, canens:

Tertullian, Lib. de Pallo, cap. 2.

Lucan. ad Pison.

Ipsa vices natura subit, variatq; recursus,
 Ordinat, inverfis & frondibus explicat annum.
 Non semper fluidis adapertnr nubibus æther,
 Aurea terrificis obcoecat sidera nimbis:
 Cessat hyems, madidos & siccat vere capillos:
 Ver fugit æstates: Æstatum terga laceffit
 Pomifer autumnus, nimbis cessurus & undis.

Aristophanes in Ranis, & Cæl. lib. 6. cap. 38. Ovid. lib. 11. Metam.

Voss. lib. 5. Instit. Oration.

Non Empusa ex Aristophanis Ranis toties aliâ atque aliâ specie se obtulit, non Morpheus, quoscunqve voluit, vultus induere solitus, tot formas referre potuit, quot in hæc rotundâ naturæ machinâ obtinent mutationes atque vicissitudines. Hanc ad rerum mutabilitatem & inconstantiam, pro nostrâ quidem sententiâ, multum accedit Euripus, jure meritoq; omnis inconstantia symbolum appellandus, maris pars inter Æolidem, Bœotia portum, & Eubæam insulam, septies unoquoque die, totiesque nocte, suas admirabili celeritate aquas reciprocans; licet Petrus Gyllius, qui ex molitoribus, Euripi accolis, rem studiosè cognorat, eundem quater ut plurimum de die naturali cursum mutavisse annotaverit. Mutationibus & inconstantia, sicut purè naturalia, nec minùs subjacent, quæ humanæ mentis excogitavit industria, totqve labores perficiunt,

ciunt, arte facta videlicet, naturalibus, principiorum ratione, merito accensenda.

Nam neq; Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elæi cœlum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri,
Mortis ab extremâ conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.

*Propert. 1.3.
Eleg.*

Quod verò in naturalium serie obtinet, ut pauca scilicet perennare diutius soleant, & res inter peritura quævis offendantur; illud etiam in rebus humanis atque Politicis tam verum est, quam quod verissimum. Hanc in sententiam pedibus discedit Diodorus Siculus, historiam orbis & regnorum omnium, itemque res omni tempore gestas, ad Julium usque Cæsarem, accuratissime complectens Historicus, scribens: Si cui varias humanarum rerum vices incertamque fortunam mente contemplari libuerit, haud sanè mediocri, singula quæque inspiciendo, admiratione merito capiatur, cum nullum penitus ex his, quæ à nobis bona putantur, purum compererit, atque sine omni prorsus molestiâ fincerum mortalibus unquam obtigisse: contraque nullum usquam tam extremâ conditione malum, quod prorsus omni utilitate careat.

*Diodor. Sic.
Bibliotec.
Hist. lib. 12.*

Cuncta in orbis modum vertuntur, & incerta sunt, ut planè mihi non ablutere videantur à laminis, quæ summis turrium ac templorum fastigiis solent imponi, quò ventum circumactu suo indicent. Nihil tam gratum est fortunæ, quam ut ea, quæ sunt in publicis actibus, eventuum varietate mutantur. Memoratu dignissima sunt verba Cræsi, felicissimi quondam atque opulentissimi Lydorum Regis, jam autem in Perfide, belli minus prosperè cedentis fato, captivi, quibus autorem Perficæ Monarchiæ, Cyrum, adversus Scytharum Reginam, Tomyrim, bellum suscepturum compellabat. Equidem, inquit, tibi, Rex, etiam antea dixi, quandoquidem Deus tibi me tradidit; quicquid animadverto errati in tuâ domo, id omne me pro viribus aversum ire. Nam meæ ruinæ, etsi ingrata, mihi tamen extitere disciplinæ. Si tibi esse videris immortalis, & ejusmodi exercitui præesse, nihil est opus, ut meam dicam tibi sententiam: Sin verò te quoque cognoscis hominem, & istis ejusmodi præesse, illud inprimis discito: *Humanarum rerum circum esse, qui rotatus, semper eosdem fortunatos non sinit.* Ex innumeris, quæ Historicorum scripta suppeditant, exemplis nobis placuit sequentia excerpere. Hæc inter primas dabimus Ecclesiasticæ dignitatis viro, D. Athanasio, quem *εὐσεβέων κλέος* Nicephorus appellare non dubitat, Episcopo Alexandrino celeberrimi nominis. Hic cum acerrimus orthodoxæ doctrinæ propugnator esset adversus Arianos, Synodis Episcoporum ipsius causâ plus vice simplici convocatis, homicidii, scortationis & veneficii accusatus, criminum verò tantorum nunquam convictus, in exilium sexies proficisci necesse habuit, ex quo itidem toties reversus est. Tandem cum muneri Episcopali sextum restitutus fuisset, tot gravissimas annos quadraginta, quibus Ecclesiæ præfuerat, persecutiones ab Arianis passus, vitæ quod restiterat, placidè peracto, beatâ analysi animam Alexandriæ posuit. Tantam fortunæ varietatem commodè exprimit lacus apud Troglodytas, Æthiopiæ populum, qui ter in die amarus est & falsus, ac rursus dulcis, totiesque nocte, unde & insanus audit. Jam exempla eorum subjicimus, qui Magistratus gessere, purpuræque & diademate extiterunt conspicui. Con-

*Flav. Vopisc.
in Caro.*

*Herodot.
Histor. lib. 1.*

*Histor. tri-
partit. Lib. 1.
cap. 4. 5. 6.
7. 8.*

*Solin. lib. 31.
c. 2. & lib. 2.
c. 100.*

sidera-

3477 12 10
Camerar
Hor. Subcis
Cent. 3. c. 87

Jov. in Elog.
Illustr. viror.

Matthias
Theat. Hist.
p. m. 251.

Senec. in
Thyeste, Act.
3.

Campoful-
gos. Exem-
plor. Lib. 6.
c. 11.

Ovid. Lib. 15.
Metam.

· fiderabimus autem rerum vicissitudines in Antonio Grimano, Princi-
pis olim apud Venetos munia obeunte. Hujus viri summos in Vene-
torum Republicâ honores ingens calamitas subsecuta est, cum ipso D.
Marci Procuratore, ventis reflantibus, quorundamque Trierarcho-
rum culpâ, haut, sicut fas erat, parentium, classis Veneta, apud Spora-
das Insulas, infeliciter admodum cum Turcis pugnâisset. Nam, re sic
gestâ, Grimanus summæ invidiæ expositus omni dignitate exutus est,
tandemque non ut reus criminum, sed, ut verba Jovii sunt, ad minuen-
dam invidiam, in Ossarum, alteram Absyrtidum insulam, relegatus fuit,
ex quâ verò eundem Veneti Patres domum revocârunt, (ubi demùm
imperii summæ præfuit,) integritatis & virtutis ergò, sicut verba decre-
ti publici fuerunt. Grimanium excipiat Gilimer, Vandalorum Rex, in-
ter complures alios fortunæ inconstantiam expertus, qui à Justiniano
Imperatore victus vincetusque, & in conspectum victoris productus, ple-
no ore risit: Cùm itaque eum ingenti dolore perculsum, menteqve ca-
ptum esse putarent, dixisse ferunt, se ridere fortunæ humanæ vicissitu-
dines, ut, qui modò Rex fuisset, jam serviret. Pulcherrimè proinde
Seneca:

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis.
Nemo tam Divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri.

Ne in hominum publicæ autoritatis ordine tantum hæreamus, descen-
demus quoque ad privatos cives. Plurimum & opibus & amicorum
numero poterat Corfus Donatus, civis Florentinus, inque patriam re-
stitutus, (in exilium enim ipsum civilibus discordiis ejecerant,) opes
auxerat adeò, ut civilem statum transcendisse videretur: Sed populo
suspiciaci quodam tempore ob id in furorem verso, ædesque oppugnan-
te, Corfus clam equum conscendit, à quo cùm infelici casu delabe-
retur, pede ephippii retinaculis adhærente, in fugâ equi collisus, mi-
ferrimè periit. Adeò

- - - nihil est toto, quod perstet, in orbe:

Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.

De hoc cùm crastino die, *ὄν θεῶν παλάμη!* & quidem quod ad naturalium
spectat mutationes, oratione scholasticâ memoriter differere constitue-
rit juvenis ornatissimus, & cui de meliore luto finxit præcordia Titan,
Johannes Georgius Müllerus, Dresdensis, discipulus hæctenus noster, in
Academiam Lipsiensem concessurus; quem proinde Propempticis
sermonibus condiscipuli prosequuntur, & quidem Gottlieb Heinrich
Schwarze sermone Latino in prorsâ, Julius Heinrich Schwarze car-
mine Latino, & Benjamin Heinrich Schwarze carmine vernaculâ lin-
gvâ concepto, in universum Dresdenses: Omnes Musarum nostrarum
Patronos atque Fautores, ut honorificâ suâ præsentia splendorem huic
actui concilient, præstitutoque tempore ad Schwarzianas ædes, in plateâ
Pirnenfi fitas, se conferre, benivoli auscultaturi, haut graventur, eâ quâ
par est observantiâ atque humanitate rogamus & veneramur. Si id vo-
ti consecuti fuerimus, nihil prius, nihilque antiquius nobis erit redhosti-
menti studio, & singulari nos auctos beneficio atque fortunâ pla-
nè existimabimus. P. P. Dresdæ, d. 13. April. A. O. R.

M. DC. LXXXVII.

•••••

107

100



7. 7!



Tertullian, Lib. de Pallo, cap. 2.

phosin experiantur
obnoxius depreher
apud Tertullianum
Doctorem, legitur
in totum Homeric
vicem vertunt: sol
variat: siderum d
fuscitat: Cœli amb
aut imbres ruunt,
denuò sudum. Sic
huc, de tranquillo p
manis inquietat. Si
prope sis eandem
visurus & canam.
attinet vicissitudin
Poëta, Lucanus, i
pia Equiti, dicato

Lucan. ad Pison.


Ipsa vic
Ordinat
Non sen
Aurea te
Cessat h
Ver fug
Pomifer

Aristophanes in Ranis, & Cœl. lib. 6. cap. 38. Ovid. lib. 11. Metam.

Non Empusa ex A
lit, non Morpheus
referre potuit, qv
nes atqve vicissitu
tiam, pro nostrâ q
tôq; omnis inconst

Voss. lib. 5. Instit. Orator.

dem, Bœotia port
tiesqve nocte, suas admirabili celeritate aqvas reciprocans; licet Petrus
Gyllius, qui ex molitoribus, Euripi accolis, rem studiosè cognôrat, eun-
dem qvater ut plurimum de die naturali cursum mutavisse annotaverit.
Mutationibus & inconstantia, sicut purè naturalia, nec minùs subja-
cent, quæ humanæ mentis excogitavit industria, totqve labores perficiunt,



niverfi moles
esse & fluxas, nec
am & firmum, atqve
tia per tot annorum
m fecit & expositum.
danarum indoles sit,
inere; five qvòd sub
rovidentiæ sipario &
n subindè metamor-
tationibus perpetuis
is adduci meret, qvi
m ætate suâ Ecclesiæ
ratio (qvòd clausis vel
ne est: dies & nox in-
lationibus mensuris
t quid, interdum re-
nunc nubilo sordidus:
dehinc substillum &
flabris æqvè mutanti-
& extemplò de decu-
tini vestii amantem,
nspicis flavam, mox
qvòd ad temporum
sium urbe oriundus
pud Romanos profa-

rsus,
t annum.
s æther,
is:
capillos:
cessit
& undis.
ve aliâ specie se obtu-
ere solitus, tot formas
nâ obtinent mutatio-
ilitatem & inconstan-
t Euripus, jure meri-
aris pars inter Æoli-
es unoquoque die, to-
tiesqve nocte, suas admirabili celeritate aqvas reciprocans; licet Petrus
Gyllius, qui ex molitoribus, Euripi accolis, rem studiosè cognôrat, eun-
dem qvater ut plurimum de die naturali cursum mutavisse annotaverit.
Mutationibus & inconstantia, sicut purè naturalia, nec minùs subja-
cent, quæ humanæ mentis excogitavit industria, totqve labores perficiunt,